



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XI. An argumenta aduersariorum possit Theologus euidenter
dissoluere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

mente Doctoris sancti. Sunt enim qui putent solum docuisse, ad Theologum non pertinere principia sua, qui sunt articuli fidei, & alia ab Ecclesia definita, vel in scriptura tradita, euidenter, & necessario probare: non tamen negasse, probabiliter ratione posse à Theologo suaderi. Neque enim ad eum solum spectat sua principia explicare, sed etiam aliqua ratione ostendere. Quocirca in 2. 2. q. 1. a. 5. plerique Theologi credibilitatem mysteriorum nostre fidei probabilibus rationibus monstrare conantur. Dicunt ergo nostram Theologiam à philosophia differre, quod hæc à posteriori saltem sua principia euidenter probare possit, Theologia vero neque à priori, neque à posteriori euidenter, aut necessario demonstrat, sed sola ratione probabili, ut dictum est.

Alij asserunt, hanc etiam probationem, qua Theologus demonstrat articulo credibilitatem, non esse ab habitu Theologiæ, quia ex reuelatis principijs non procedit, sed ex humanis rationibus, ab effectibus, quibus credibilitas teritur quoque humanarum demonstrari potest. Quare ad Theologum, prout Theologus est, non spectabit principia sua probare, ac proinde hoc genus probationis ab alio habitu erit, quam Theologiæ, quem dicunt esse habitum fidei humanæ. Hæc enim ostendit ea iure optimo esse credenda, quæ ab innumera hominum multitudine locis, & temporibus distant, sanctitate & literis insigni, absque ulla commodo diuitiarum, voluptatis, aut honoris, tam humilia, & humano sensui contraria cum summa veneratione recepta sunt. De qua re multa Euseb. lib. 1. de præparatione Euangel. & lib. 9. hist. c. 6. Iustin. in oratione exhortator ad gentes, & Augustinus 12. de ciuit. c. 10. 13. & 40. & 13. de Trinit. cap. 3. & 6.

Facilior est meo iudicio mens S. Thomæ, eaque verissima, scilicet principia Theologiæ ab ea absolute non probari, sed tanquam vera supponi, nisi in casu secundæ conclusionis, hoc est, contra negantes illa: cum eis enim, qui in fide Catholica iam bene sunt instructi, & parati ad credendum, quæ Romana Ecclesia proponit, de probandis articulis Theologia non agit, sed apud eos tanquam certos supponit, & ad inferendas nouas conclusiones, & veritates ex ipsis argumentatur. Probat vero prædictos articulos, quos supponere debebat, quando ab hæreticis negantur. Ceterum, ut inquit S. Thomas in 2. conclus. hoc modo Theologia solum arguere potest, quando quidam tantum articuli negantur, alij verò admittuntur: talia enim sunt Theologiæ principia, & ita connexa, ut nullo se inuare possint, & vnum ex alio probari: nempe Scriptura ex definitione Ecclesiæ, & traditione, & contra: sed apud eos tantum, qui aliquod eorum admittunt, Idem etiam principium in vniuersum, & confuse admissum probat particularia, quæ sub ipso continentur, & hoc etiam ad Theologum pertinet: verbi causa si hæreticus admittit aliquam in eo contentam ex prauo intellectu, & interpretatione illius; Theologus, qui debet, sic in Scriptura versatus, intra proprios terminos Theologiæ potest ipsum convincere: similiter si quis admittat alicuius Concilij auctoritatem, neget tamen, quod in eo definitum est, eodem modo à Theologo est convincendus: quia ratione Theologia nostra dici debet sapientia, &

Theologus sapiens. Nam iuxta Aristot. 6. Ethic. c. 7. sapientem non solum oportet ea scire, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiam circa prima dicere vera, ea nimium explicando, & declarando. Quocirca merito S. Thom. in 2. conclus. Theologiam in hoc Metaphysicæ comparauit, quod sit cæteris nobilior, & ideo sapientia dicatur.

Quod si nullum principium huiusmodi admittant, qui negant articulos fidei, nullam contra illos intra limites Theologiæ superest argumentum, sed ea solum deseruit ad diluendas eorum rationes, ut expressè notauit S. Thomas in 3. conclus. Quare recte dicebant posteriores Thomistæ, rationes illas, quibus probati solet nostre fidei credibilitas, ad Theologum non pertinere tanquam ipsi proprias, eis tamen ut nos possit, & debere contra negantes mysteria nostræ fidei, si nullum propriis locum admittant Scripturæ, traditionis, aut definitionis Ecclesiæ. Cum his enim humana potius ratione agendum est, ut primum ostendamus errorem suæ fidei, deinde probabilitatem nostræ, præsertim ex societate, quam habet cum vera lege. Hæc igitur rationes non sunt propriæ Theologiæ: alioqui non dixisset S. Thomas, contra eos, qui negant omnia Theologiæ principia, nihil aliud Theologo superest, quam eorum argumenta diluere.

DISPUTATIO XI.

An argumenta aduersariorum possit Theologus euidenter dissoluere.

Opinio Durandi. cap. 1.

Quid sentiat Caietanus. cap. 2.

Probabilior sententia. cap. 3.

CAPVT. I.

Opinio Durandi.

CIRCA tertiam conclusionem articuli restat disputandum, an Theologia nostra ita diluat aduersariorum argumenta, ut euidenter ostendat ea nihil probare. In hac vero difficultate putauit Durand. q. 1. Prol. num. 42. non posse Theologum euidenter sed solum probabiliter argumenta, quæ sunt contra mysteria nostræ fidei, dissoluere. Probat autem, quoniam aut ratio adducta contra articulum, defectum habet in forma, aut assumit falsam aliquam propositionem: prius potest euidenter cognosci, ac proinde si eo modo argumentum soluatur, de solutione euidenter constabit. Posterius verò euidenter esse non potest: nam sicut non potest de veritate mysterij euidenter constare, sic neque de falsitate eius, quod assumitur, ad probandum contrarium; vtriusque enim est eadem ratio: ut si quis arguat contra mysterium Trinitatis hoc modo, vbiunque est distinctio personarum, est etiam distinctio naturæ: sed in diuinis est distinctio personarum: ergo etiam naturæ, argumentum quidem non habet alium defectum, quam quod assumit maiorem propositionem falsam, cum in infinito secundum essentiam simul esse possit natura singularis, & personarum pluralitas: sed si de falsitate illius euidenter constaret, euidenter etiam appareret veritas contradictoriæ propositionis, nimirum, in aliqua natura singulari possunt esse plura supposita. Sic autem euidenter esset mysterium Trinitatis.

C. A.

Euseb.
Iustin.
Augustin.

Vera explicatio, S. Th.

35.

Aristot.
36.

S. Thom.

37.

i.

Theologus
euidenter
non soluit
argumenta
contraria,
Durand.

Ratio
Durand.

Caietanus vero in hoc articulo. §. Circa tertiam, contrarium docuisse videtur. Duo enim assertiva sunt, solui posse euidenter rationes omnes contrarias intra limites ipsius Theologiae, ac proinde non solum ex propositionibus creditis, sed etiam euidenter scitis ad eas responderi, non quidem positue, sed negatiue. Pro cuius explicatione notat, dupliciter posse dilui euidenter rationes contrarias. Primum negatiue, non quia habeatur euidentia de opposita propositione, sed quia euidentis sit id, quod assumitur in argumento, non conuincere intellectum ad sui assensum. Veluti in exemplo posito a Durando, negari potest illa maior propositio, in omni natura, ubi est distinctio personarum, est etiam essentia; quod non appareat, quomodo vniuersum verum sit, quod in ea dicitur. Deinde dilui potest aliquod argumentum euidenter positue: quia euidenter constat veritas contradictoriae eius, quod assumitur. Vt si in eodem exemplo appareret veritas maioris propositionis, scilicet in aliqua natura singulari sunt plures personae: & hoc posteriori modo nequeunt dissolui omnia argumenta contra mysteria nostra fidei: quia vt bene probat Durandus ipsum mysterium euidentia haberetur. Nihil ergo aliud docere voluit Caietanus cum dixit Theologum suo muneri non satisfacere, nisi argumenta euidenter dissoluat, quam Theologum bene instructum euidenter negatiue argumenta dissoluere, eo ipso, quod non cogitur ad assensum assumptae propositionis, neque per dubitationem a vera sententia mouetur.

Ex quo infert Caietanus eos decipi, qui putant rationes factas contra fidem nostram non euidenter, sed obscure dissolui posse. Est enim differentia, inquit ille, inter probationem alicuius propositionis, & solutionem argumenti contrarii: quod, vt probatio sit euidentis, debet assumere propositiones, de quibus non solum non constet falsas esse, sed earum etiam veritas euidentis sit, vt ex ipsis sequatur assensus conclusionis euidentis positue: vt autem solutio argumenti contrarii sit euidentis, satis est, si aliquid negetur, cuius veritas non appareat, quae conuincat intellectum ad assensum. Et namque, cui non apparet aliquid, ex quo assentiatur, sed potius contrarium credit, etiam si obscure credat, euidentis est argumentum illud efficaciter non probare. Veluti si quis neget, alia esse paria, & alius ei velit id probare ex certo numero, quem prohibito assumit, si ei non appareat vera hae propositio assumpta, euidentis erit negatiue huiusmodi argumentum dissolui, hoc est, nihil probare. Ceterum, vt euidenter probeatur numerus par, oportet assumere propositiones, quae euidentem gignant assensum. Quare opinio Caietani recte intellecta sententiae Durandi non aduersatur: ille namque solum loquitur de euidentia positua, quam in solutione argumentorum non concedit Caietanus: hic vero loquitur de euidentia negatiua, vt explicata est, quam non negaret Durandus.

Alterum, quod docet Caietanus, est, posse nihilominus aliqua saltem argumenta dissolui, euidenter positue ex eo, quod euidenter scitur oppositum eius, quod assumitur in argumento: vt

Vaquez in 1. part. 2. m. 1.

si aliquis argumentetur contra mysterium Eucharistiae, quod accidentia in eo non possint esse sine substantia: quia ipsorum esse, & natura est inesse: hoc argumentum euidenter positue solui potest, quia in bona philosophia euidenter notum est, essentiam accidentium non esse actualem existentiam in substantia, sed solum aptitudinem, & ordinem ad inherendum: & ita negari potest assumptum cum euidentia contrariae propositionis: quod tamen non fiet in aliis argumentis soluendis. Addit etiam Caietanus, hunc modum respondendi euidenter positue ad Theologum pertinere, vt Theologus est, etiam si solutio argumenti ex principiis philosophiae desumpta sit: Theologia enim aliena principia facit propria, dum videtur ministerio aliarum facultatum ad defensionem propriae doctrinae: qua de causa haec principia appellat ipse Theologica ministerialiter.

CAP. V. III.

Probabilior sententia.

Haec sententia Caietani, excepta posteriori eius parte, mihi probatur: atque adeo in vniuersum existimo, nullum argumentum, quod directe pugnet contra mysterium, quatenus fidei articulus est, solui posse euidenter positue, sed solum negatiue: De solutione euidenti negatiue satis in explicatione sententiae Caietani dictum est: de euidenti autem positue haec nostra sententia, nunc probatur quia si aliquod argumentum euidenter positue dilueretur, quod directe contra mysterium pugnaret, haberetur euidentia ipsius mysterij, vt optime conuincit ratio Durandi. Dixi argumentum, quod directe pugnaret contra mysterium, quia argumenta, quae pugnant ex consequenti, directe vero contra aliquid naturale, quod supponit articulus, non solum aliqua, sed omnia euidenter positue solui possunt: & in hoc sensu vera esset sententia Caietani. Huiusmodi est argumentum illud allatum contra mysterium Eucharistiae, non enim pugnat directe contra articulum, qui in eo solum consistit, quod accidentia post verba rite prolata sine subiecto nunc mancant: argumentum vero directe non probat non ita manere accidentia, sed consequenter id deducere content ex eo, quod ita fieri nequeat, atqui hoc fieri posse, non est articulus fidei sola reuelatione notus, sed aliquid, quod naturali ratione cognosci potest, & necessario supponitur ad articulum. Simile esset argumentum, si quis probare vellet contra articulum resurrectionis, & ad hoc probandum assumeret, animam esse mortalem, & ad praeteritum non esse potentiam. Hoc enim argumentum euidenter positue solui posset, quia directe non pugnat contra ipsum articulum, qui solum consistit in eo, vt futura sit resurrectio.

Denique falso asseruit Caietanus ad Theologum, prout Theologus est, pertinere huiusmodi argumentum, quod indirecte pugnat contra mysterium, soluere euidenter positue: id enim Theologus facit, quatenus philosophus est. Neque enim principia philosophiae sunt propria Theologo, nisi quando cum articulis fidei miscetur ad inferendam aliquam conclusionem: tunc autem ea ex philosophia accipit, quia Theologia philosophiae quodammodo subalternatur, vt supra disp. 7. cap. 5. dictum est. At vero quando

E

Theolog.

Theologiae
quodam ar.
gum. & a sol.
uit euidenter
positue.

Nullum ar.
gum. nunc
euidenter
positue sol.
uit Theologus.

Quando
principia
philosophiae
sunt propria
Theologo.

Theologus ex propriis solum principiis philosophiz disputat, ut in solutione prædictorum argumentorum contingit, non Theologi, sed philosophi munere fungitur: quo fit, ut Theologus, quatenus Theologus est, nullum argumentum euidenter positivè dissolvat.

DISPUTATIO XII.

De locis Theologiæ, & quæstionibus Theologicis tractandis.

Quid sit locus Theologicus, & quotuplex. cap. 1.

De usu quinque priorum locorum. cap. 2.

De auctoritate Scholasticorum philosophorum, & de ratione philosophica. cap. 3.

De humana historia. cap. 4.

Differentia inter humanam historiam, & rationem philosophicam. cap. 5.

CAPUT I.

Quid sit locus Theologicus, & quotuplex.

Canus.

Qui dicantur loci Theologici.

Argumentum hoc de locis Theologicis hac nostra tempestate Melchior Canus per 12. libros luculenter tractavit: in quibus non tantum numerum locorum ob oculos posuit, sed etiam de singulis permulta tradidit, & varia hinc, indeque petita in disputationem reuocavit. Nostri vero instituti nunc erit, simplici narratione locos, qui ad Theologum spectare videntur, recensere, singulorumque momentum, & usum paucis exponere. Appellamus vero locos Theologicos non capita rerum, de quibus Theologia tractat, quæ etiam loci communes vocantur, ut de iustificatione, de merito, &c. sed sedes quasdam, & promptuaria, ex quibus Theologica argumenta ducuntur. Sicut ergo Aristoteles in Topicis varios locos ostendit, vel à definitione, vel à contrariis, &c. ex quibus de quacumque proposita quæstione possit quisque probabilia argumenta depromere; sic nobis erit nunc exponendum, unde possit Theologus rationes suas, & argumenta proferre. Et quamvis omne argumentum in uniuersum, vel auctoritate, vel ratione fiat, specialiter tamen decem loci Theologici numerari solent. An vero omnes ad Theologum tanquam legitimi, & proprii pertineant, in hac disp. dicemus.

Decem loci Theologici.

Canus.

Primus igitur locus est auctoritas sacre Scripturæ. Secundus, auctoritas traditionem Christi, & Apostolorum. Tertius, auctoritas Ecclesiæ Catholicæ. Quartus, auctoritas Conciliorum. Quintus, auctoritas Pontificis Romani. Sextus, auctoritas Patrum. Septimus, auctoritas Theologorum scholasticorum, cum quo etiam recenseri solet auctoritas Iurisprudentium ex ea parte qua Theologus agit de iuris doctrina. Octavus, ratio naturalis lumine naturali deducta. Nonus, auctoritas philosophorum. Decimus, auctoritas humanæ historiæ. Ex quibus septem priores putat Canus lib. 1. de loc. cap. ult. proprios esse Theologos: tres vero posteriores adscriptos, & aliunde emendatos: quod quia ratione verum sit, paucis aperiam: neque enim animus est docere, quæ sit sacra Scriptura, qua ratione conscripta, & reuelata. quid sit traditio, & quantæ sit auctoritatis: nihil de conciliorum, & Pontificum decretis, quod

CAP. I.

attinet ad eorum firmitatem, & robur, dicam, sed supponam hæc quatuor esse firmissima Theologiæ fundamenta, ex quibus potissimum eius argumenta petuntur, eandemque veritatem diuinæ reuelationis continere, ut latius patebit 2. 2. q. 1. art. 10. in peculiari de his omnibus tractatu. Idcirco hos quatuor locos sub unico ratiōis complexu est S. Thom. in hoc art. in solutione 2. nempe sub auctoritate, quæ diuina habetur reuelatione: omnium enim eadem est firmitas, & robur veritatis ex diuino testimonio, vario modo explicato.

Hanc autem veritatis energiam ceteri loci ex seipsis non habent. Excipio communem Patrum consensum in Scripturæ alicuius explicatione, quæ ad dogma pertinet fidei; & in traditionibus etiam fidei eruendis: in his enim eandem cum verò Scripturæ sensu, & cum vera Christi traditione auctoritatem habet, non alia de causa, quam quod Ecclesia Catholica Scripturam sic explicatam recipiat, & teneat, ut defuit Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de editione, & usu sacrorum librorum, & traditiones ipsas communi Patrum consensu continuo conferuatas amplectatur: ex se tamen Patrum auctoritas humana est, & quæ ex ipsis inconcussæ veritatis momentum non habet. Ceteri quatuor loci in gradu inferiori certitudinis collocari debent: quæ vero ratione nihilominus conducere possint ad conclusiones Theologicas, & de fide eliciendas, & qualis singulorum usus esse debeat, subinde dicemus.

CAPUT II.

De usu quinque priorum locorum.

De usu horum locorum in primis illud statuamus, ex quinque prioribus bifariam posse Theologum argumentari: primum, ut notauimus in explicatione articuli, contra negantes principia, vel aliquid particulare sub ipsis contentum, modo ibidem explicato. Quare contra negantes definitionem Ecclesiæ, aut Pontificis argumentari possumus ex Scriptura, & contra negantes Scripturam, ex definitione Ecclesiæ, quando aduersarij ex his aliquid admittunt. Denique contra negantes aliquod particulare propter prauum intellectum Scripturæ, quam recipiunt, ex ipsa met Scriptura recte intellecta arguere debemus: quæ etiam ratione ad hoc probandum potest, & debet accedere sextus locus ex Patribus, iuxta quorum interpretationem in fidei dogmatibus Scriptura, ut dixi intelligenda est.

Deinde ex his omnibus locis, & Patrum auctoritate eodem modo accepta, possumus argumentari ad deducendas nouas conclusiones, & hoc adhuc duobus modis, aut euidenti illatione, aut probabili: priori modo deducitur conclusio mere Theologica, & talis consequentia, siue vtraque propositio ex prædictis locis assumpta sit, siue altera præmissarum euidentis sit ratione naturali, sufficit ad definiendam in Concilio conclusionem de fide posteriori, vero modo inferitur conclusio solum probabilis, circa quam salua fide inter Theologos controuersia esse potest, & opinio-nura dissenso: neque inutilis iudicari debet hic modus probabiliter argumentandi, & opinandi, si tamen nimia absit contentio: sic enim non solum

2.
Qui loci
certiores,
qui minus
certi.

Consensus
Patrum
quando
infallibilis

Concil.
Trident.

3.

Contra ne-
gantes scri-
pturam quo-
modo ar-
guendum.

4.

solum